

quamque, Patrem videlicet et Filium et Spiritum sanctum : adhæc tres quoque personas dicunt, ipsam nimirum sanctam Trinitatem et subsistentias tres : tres autem numero substantias et naturas per omnia similes, secundum Deitatem dicentes, unamque substantiam sive naturam, et unam Deitatem, sive Deum; sanctam et consubstantialem profitentes Trinitatem, non numero, sed per omnia simili Deitate tres Deos aut tres Deitates omnino dicere tergiversantur... Hi autem tres quidem Deos seu tres Deitates dicere supersederent; tres autem numero substantias, seu naturas quasdam similes profitentur.

Cui vero hæc non sufficiunt ad dogma Tritheitarum Arianis posteriorum penitus perspicendum, addat is sententiam SOPHRONI, ætate Philoponi propinquioris ac ferme coævi : Numeratur ergo beata Trinitas, non essentialiter nec naturaliter nec diversis Deitatibus ternisve dominationibus, absit, sicut insaniant Ariani, et sicut novæ Tritheie, id est, ter Deitatis, antistites furiose latrant dum naturas tres, ac dominatus tres, et tres similiter Deitates inaniter prædicant (Lab. t. 6. p. 860. C.). Post multa vero, et ubi anathematizantur hæretici, sic inter reliqua scribit : anathema itaque in perpetuum et catathema a sancta, consubstantiati et adoranda Trinitate, Patre et Filio et Spiritu sancto sit... Joannes Grammaticus, cognomento Philoponus, id est, studiosus, imo matæoponus, id est, irritus laborator : Conon quoque (a quo scilicet Cononitæ apud Nicephorum) et Eugenius; hi tres tritheie, h. e. triplicis Deitatis ter maledicti propugnatores (Lab. l. cit. p. 889. C. et 892. C.).

Ex his secum comparatis apparet : 1°. Præter Arianos et quoscumque antiquiores fuisse Tritheitas novos et aliquot seculis posteriores : 2°. Arianos et antiquiores distingui a novis, quod illi admiserint tres Deos, essentialiter et naturas alterius substantiæ, alterius originis, alienigenas, alterius speciei ac dissimiles; hi autem statuerent tres Deos, naturas et essentialiter consubstantiales, ejusdem originis, unigenas, ejusdem speciei, et per omnia similes secundum Deitatem : 3°. Ad Tritheitas etiam pertinere eos, qui tres naturas et essentialiter, posterioris licet classis, admittunt, quantumvis Deos aut Deitates tres profiteri detrectent : 4°. Ad declinandam Tritheismi notam non sufficere, ut quis se distinguat ab Arianis et antiquioribus, sed et discrimen eum inter et Tritheitas omnino exigi. Reliqua, quæ in Scholasticis carpuntur, partim præfidentius sunt dicta; quasi scilicet illi regulis humanis Divina metiantur : partim eadem excusatione elevantur; cum non minus liceat ex Aristotelica Philosophia elicere verum, ac ex principiis veris subin deducitur falsum : partim propria responsione solvuntur, qua monemur non omnia in crimen vocare, quæ hæreticuli forsitan inter se disputabant, cujus generis illud est, quod Petritarum secta, cum Scholasticis in trium Personarum professione et simul trium naturarum negatione conspirans, Tritheismi a Tetraditis apud Nicephorum (L. cit. c. 49.) insimulabatur.

II. In responsione ad verba Concilii Later. IV. profert Anonymus multa, quæ nescio an necessaria, proficua et pertinentia fuerint omnia. Certe meminisse potius oportebat, non quælibet Patrum dicta absque cautela in fidei sermonem ab Ecclesia admitti, quam monere Scholasticos non omnia quæ in Conciliis dicuntur fidei dogmatibus esse accensenda, quandoquidem de solo Synodi decreto esse sermo poterat. Præterea nil juvat laudasse similem Patrum ac Scripturæ etiam phrasin; cum idem, a Joachimo factum, illum immunem non præstiterit. Neque expediebat fateri tantam vim

synodali definitioni a Scholis esse tributam, ut nec tres substantias aut naturas dici absque hæreseos nota non paterentur; cum propria cujusdam incredulitas cum alieno alterius dicto dissentientem liberare saltem a temeritate nequeat. Novitas denique Scholastici dogmatis minus apte notatur; propterea quod, si revera ex Concilio OEcumenico ortus capiatur, antiquitas doctrinæ vocari in dubium nequeat; gradus autem certitudinis definitus et formula loquendi determinata omnino debeat observari.

Ad rem tamen ipsam propius et curatius accedere videtur, sive dum negat eam Concilio fuisse mentem, quæ nullo modo essentialiter aut gignentem aut genitam dici permitteret; quoniam essentia Filii generatione et nascendo reipsa existit, Patres id asserentes damnari erroris nequeunt, Scholastici etiam ipsi naturam concrete sumptam generare et generari non abnuunt : sive dum a Joachimi errore opinionem suam distinguit; utpote qui divinam substantiam realiter diviserit inter Personas, instar hæreditatis in portiones distributæ, non aliam quam collectivam quamdam unitatem inesse Personis crediderit, ac incaute nimis similitudine unionis in populo aut senatu fuerit usus : ubi tamen ipse essentialiter esse divisas aut alias neget, unitatem identitatis in natura, dissimilitudinis expertem et consubstantialis retinentem, admittat, et monarchiam perfectissimam in Deo a Patribus celebratam statuatur.

Neutra tamen responsio rem ab auctore intentam evincit. Non 1°. ; quandoquidem Concilium diserte enuntiat : *Et illa res, videlicet substantia essentia seu natura divina, non est generans neque genita neque procedens; sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit : ut distinctiones sint in Personis, et unitas in natura*; ubi quid vere ac proprie dici possit ac debeat, tam negativo quam affirmativo sensu exprimitur. Neque contrarium persuadet adjecta ratio triplex. Quod enim HILAR. L. de Syn. n. 15. dicat, *Filium per naturam in se genitam consistere*, his quidem verbis constitui eundem per absolutum et relativum insinuatur, ut AUG. L. 7. de Trin. c. 2. explicat; non autem naturam ipsam generatione existere significatur, ut in Disp. 2. uberius dicitur. Patres hujusmodi loquendi formulis usos erroris non coarguimus, sed improprie accipimus, et religiose explicamus. Scholastici demum, qui ita loquuntur, cum AUG. L. 7. de Trin. c. 1. n. 3. etiam fatentur, hac locutione *non essentialiter sed relativum indicari... atque si essentia ipsa relative dicitur, essentialiter ipsam non jam esse essentialiter*.

Haud felicius est responsio altera, discrimen sententiarum afferre conata. Quod enim Joachimus diviserit realiter essentialiter sicut hæreditatem, testem Anonymus non laudat alium, quam Cardinalem quidem, sed merum tamen Scholasticum, cujus professionis homines nihil alias auctori probant. Quod is non aliam inter tres Personas, quam collectivam unitatem crediderit, verum quidem Anonymus dixit, si hinc exclusam unitatem realem numericam intellexerit; falsum autem, si unitatem etiam rationis ac protensæ per omnia similitudinis removerit. Quod idem denique nimis incaute comparatione unionis in populo aut senatu fuerit usus, non facit, ut Anonymus, qui cautius est locutus, senserit etiam castius. Quodcumque enim unitati suæ nomen aut prærogativam tribuat, eam tamen collectivam appellari posse contendit, neque ultra similitudinariam aut intentionalem assurgit, adeo-

que nec veram nec propriam unitatem admittit: neque essentias etiam esse alias, atque hinc entitate sua discretas ac divisas, negare potest, nisi vel apparenter vel inconstanter, cum quas subinde unitatis honore aspergit, alibi ternario numero distinguat, et relative oppositas contendat.

Quamquam, si melius etiam, quam adhuc fecit, *Anonymus* suum systema a *Joachimi* errore distingueret, non ideo tamen innocens illud et Catholicum probaret, nisi una ostenderet, id cum Catholico dogmate congruere: veritas siquidem unica est, error autem et a veritate discensus varius ac multiplex. Hoc autem ab illo præstari non posse, ut omitam alia, breviter sic conficio. Dogma de unitate in Divinis verum et catholicum est illud, quod Concilium Lateran. credit ac confitetur: sed hoc Concilium credit ac confitetur systema *PETRI LOMBARDI*; quia verba Decreti sic habent: *Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quædam summa res etc.* Systema autem Scholasticorum est idem cum *LOMBARDI* systemate, ut facile omnibus notum est ac exploratum; ergo *PETRI LOMBARDI* systema, idemque Scholasticorum, de unitate in Divinis, est dogma verum et Catholicum. Atqui systema *Anonymi* minime congruit cum systemate *LOMBARDI* et Scholasticorum, utpote cui suum tanquam inimicum ac diversum ille objicit; ergo cum dogmate vero et Catholico congruere non potest.

QUERES: *An versiculus Joannis de tribus in cælo testibus, qui unum sunt, sit authenticus?*

338. *Nota.* Quem Patres et Scholæ pro asserenda in Divinis Personarum Trinitate ac unitate naturæ laudant ex ep. 1. Joannis c. 5. Versiculum 7., Apostolus ille ad comprobendam Christi veram tum humanitatem tum divinitatem scripsit. Postquam enim versu 5. et 6. dixisset: *Quis est qui vincit mundum? nisi qui credit, quoniam Jesus est Dei Filius. Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine;* quibus verbis legales ablutionis et expiationis umbras ad solidam veritatem perductas et factam a Deo homine redemptionem designavit: ad hujus confirmationem in altera versus sexti parte subjungit: *Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Hoc testimonium amplificaturus, Spiritum sanctum, de quo juxta omnes hic fit mentio, secundum duplicem in Scriptura acceptionem sumit; primo pro tertia in Divinis Persona; secundo pro dono Spiritus sancti seu charismate, scilicet adoptionis gratia; et in consortium testis primi alias Personas divinas, in alterius alia charismata, aut certe causam et pretium charismatis seu gratiæ assumit, ita prosequens versu septimo: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt:* et versu octavo: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.* Denique dignitatem hujus testimonii ac fidei meritum declarat subjuncto versu nono: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.*

Interpretatio versus septimi, quam ex analysi facta colligere datur, quamvis universim adoptata non sit, facile tamen sustinetur ab omnibus; quia

cum argumento epistolæ congruit, et LEONIS M. atque AMBROSII consensum habet. De authenticitate vero illius non est idem omnium sensus; cum non *Sociniani* tantum alique hæretici nonnulli, sed et ex Catholicis Richardus Simonius cum Anonymo Gallo eundem velint erasum ex Scriptura, propterea quod is textus a quibusdam codicibus penitus absit; in aliis vel ad marginem sit positus, vel perturbato testium aut versusum ordine collocatus; in quibusdam verba *in cælo* desiderentur. Quamquam vero, ad auctoritatem Canonicam huic pericopæ asserendam, Catholicis sufficere possit stabilita a Tridentinæ *Vulgatæ Editioni*, in qua controversus textus legitur, secundum omnes partes authenticus; quia tamen cum hominibus hanc Synodum parum venerantibus res nobis est, ac ne a Tridentinis Editoribus textus ille dici queat temere insertus; ex momentis criticis questionem decidendam suscipimus.

339. *Dico I.* Versum Joannis de tribus in cælo testibus, qui unum sunt, esse authenticum, suadet auctoritas.

*Prob.* Quem versusum manuscripti codices multi et antiqui referunt velut sacræ epistolæ comma, Patres etiam tum solitarii tum collecti tanquam Scripturæ pericopen laudant, eum auctoritas suadet authenticum: utrumque præstant Codices ac Patres; ergo. Assumptio ostenditur.

1°. De *multitudine codicum* testatur Robertus Stephanus in sua Nov. Test. Græca editione, Parisiis. an. 1546. facta, versusum septimum exhibens; qui, quoniam in præfatione asseverat, nullam sua in editione litteram secus esse positam, quam plures, itque meliores libri tanquam testes comprobarent, in ipso versu autem solum verba *in cælo* obelo notavit; consequens est, ex codicibus septem, quos de Canonicis epistolis habeat, vel omnes vel saltem plures versusum controversum, exceptis duabus vocibus, continuisse. Amplius testatur Lucas Brugensis, Bibliis Lovaniensium Doctorum cura an. 1583. excusis notas adjiciens; utpote qui inspecto triginta trium Codicum numero, non nisi a quinque versusum septimum abfuisse deprehendit. Denique editores Hispani Polyglottorum sub Cardin. Ximeno, et Romani Censores emendatorum Bibliorum sub Urbano VIII. testantur, plurimam Codicum adhibitorum partem stetit pro fide ac integritate versus septimi.

2°. De *antiquitate codicum* versusi septimo faventium experimentum præbent, præter Dublinensem, Rhemensem et Britannicum Codices a vetustate, sed indeterminata, celebres, manuscriptum anni 1283. Pragæ in Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ videndum; Parisiis vero Codex alter an. 1234. apud PP. Dominicanos in platea S. Jacobi, alter Seculi 12. apud PP. Minores asseveratus; nec minus ibidem tum vetus Correctorium seculi decimi in Bibliotheca Sorbonica, tum membrana anni 809. in Abbatia ad S. Germanum conspicua. Remotiorem adhuc ævi fuisse oportet Codices illos, in quibus hunc versusum legerunt Patres proxime laudandi; cum textum referre non poterant, nisi in exemplaribus Scripturæ cœvis, imo antiquioribus reperissent. Certe Cassiodorus seculo sexto disertam *priscorum codicum* mentionem fecit in sua præfatione ad Institutionem Divin. Litt. Jam vero in *Complexionibus*, h. e. brevissimas Epistolarum Canonicarum explanationibus, ipse versusum septimum sic reddit: *In cælo autem (testificantur) Pater et Filius et Spiritus sanctus; et hi tres unus est Deus.*

3<sup>o</sup>. Inter *Patres solitarios* quidem rariores sunt GRÆCI, qui meminerint textus controversi; non desunt tamen penitus. ORIGENES enim in selectis Psalmorum ad Psal. 122. v. 2. sic refertur: *Hæc autem tria* (Pater, Verbum et Spiritus sanctus) *Dominus Deus noster est, siquidem tres unum sunt.* In Disputatione contra *Arium* habita, sub ATHANASII nomine relata, auctor antiquissimus inquit n. 44. *Quid vero loquar de vivifico lavacro, sine quo nemo videbit regnum cælorum? an non in ter beatissima nomenclatura a fidelibus datur? adde his omnibus, quod ait Joannes: Et hi tres unum sunt.* NAZIANZ. in Or. 31. n. 9. loquens de tribus Personis ait: *Tria hæc unum, si divinitatem spectes, et unum tria, si proprietatum rationem habeas.* His similia habentur in Dial. PHILOPATRIDIS inter opera *Luciani* numerato, et ad tempora Juliani Apostatæ pertinente. Plures et his disertiores sunt Latini, ex quibus tamen referre omittimus TERTULLIANUM L. cont. Praxeam c. 23., HIERON. in Prolog. ad Epist. Canonicas, PSEUDO-ATHANASII in Tract. de unita Deit. Trinit. (al. de Trin. L. 1. opp. t. 2.) et de profess. reg. Cathol. (al. de Trin. L. 7. ibid.), ISIDORUM in spuris Epistolis Hygini ac Joannis II. quoniam vel sensus verborum quibusdam videtur dubius, vel scriptio est pseudonyma; quamvis ille sat certus videatur aliis, hæc autem partim vindicari possit, partim auctorem saltem antiquum prodat.

EX LATINIS POSTRO in Africa CYPRIAN. L. de Unit. Eccl. n. 3. scribit: *Dicit Dominus: Ego et Pater unum sumus. Et iterum de Patre, Filio, et Spiritu sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt.* FULGENT. in Resp. cont. Object. Arian. resp. ult. inquit: *Beatus Joannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum et Spiritus, et tres unum sunt. Quod etiam beatus Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesie constitetur dicens... De Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est: Et tres unum sunt.* Idem L. de Trin. c. 4. ait: *Idcirco ego, inquit, et Pater unum sumus: unum ad naturam referre nos decet, sumus ad Personas. Similiter et illud: Tres sunt, inquit, qui testimonium dicunt in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. Audiatur Sabellius, Sumus; audiatur, Tres; et credat tres Personas; audiatur et Arius, Unum, et non differentis Filium dicat esse naturæ.* In Italia præter recitatum CASSIODORI locum, extat hoc AMBROSII AUPERTI L. 1. in Apoc. c. 4. v. 5. testimonium: *Solus hoc loco Filius testis vocatur fidelis, cum et Pater et Filius et Spiritus sanctus simul fidele testimonium perhibeant de ipsis, sicut scriptum est: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* In Gallia PHOEBADIUS L. cont. Arianos c. 22. scribit: *Sic alius a Filio Spiritus, sicut a Patre Filius... unus tamen Deus omnia; tres unum sunt.* EUCHERIUS L. Formul. spir. c. 11. Ternarius numerus ad Trinitatem refertur in Joannis Epistola: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo etc.* In Hispania IDACIUS (al. VIGILIUS TAPSENSIS) L. 1. cont. Varimadum c. 5. dicit: *Joannes Evangelista ait: In principio erat Verbum... Item ipse ad Parthos, Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra, aqua sanguis et caro; et tres in nobis sunt: Et tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum et Spiritus; et ii tres unum sunt.* ETHERIUS et BEATUS L. 1. adv. Elipandum c. 26. recitant versum Joannis 7. et 8. ordine solum inverso.

4<sup>o</sup>. Patrum *collectorum* nomine veniunt sexaginta unus supra quadrin-

gentos Episcopi Africani, jussu Humerici Carthagine an. 484. congregati, qui in Libello fidei, sive per EUGENIUM CARTHAGINENSEM sive per VICTOREM VITENSEM conscripto sic loquuntur (Labb. t. 4. p. 1134. C.). *Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* Addi possunt Patres Conc. Lateranensis IV. c. 2. qui versum 7., ex versu 8. a Joachimo impugnatum, non negant in Scriptura reperiri; sed solvunt dato discrimine, quod colligitur ex verbis postremo adjectis similitudinem creaturam inter et creatorem inficiantibus: quod quidem non Latini tantum, sed et Græci tum præsentibus in sua fidei professione fecerunt. Accedit Conc. Tridentini Sess. 4. decretum de Canonicis Scripturis, quod recensitis Vet. et Nov. Testamenti libris ac epistolis, quas inter tres etiam Joannis numerantur, ait: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et Canonicis non susceperit... anathema sit.* Pertinet autem versus 7. ad integritatem epistolæ Joannis: legitur etiam in Ecclesia Catholica, apud Latinos quidem in Breviario et Missali Romanis, apud Græcos in Libro Liturgico *Apostolus* dicto: ac tandem in veteri Vulgata Latina editione reperitur et extat.

360. Dico II. Eundem versum esse authenticum, evincit ratio.

Prob. Sequentibus ex ordine propositionibus.

1<sup>a</sup>. Omissio versus 7. in quibusdam sive Codicibus sive Patribus non facit probabile argumentum contra illius authenticam. Ratio *primi* est; quia, cum Codicum discrepantia sit in aliis plurimis, nequit concordia magis exigi in versu controverso. Item quia ex iis paucissimis, qui adhuc extant, sat multi et antiquissimi favent authenticæ; ex illis vero, qui interierunt, fere primos aut primis Apostolorum scriptis cœvos oportuit contineri lectionem vulgatam, quam scilicet Patres II. aut III. seculi inseruerunt suis libris. Ratio *secundi* est; quia silentium Patrum est argumentum mere negativum, cui prævalet positiva aliorum, nec adeo paucorum, assertio. Præterea vero Patrum Tractatus vel erant breviores; ut Epistola ad Paulum Samosatenum et Synodica Conc. Sardicensis; vel de Trinitate nihil, aut parum, data saltem opera, agebant; ut LUCIFER Calar. in L. de vitiatione hæret., PROCLUS in ep. ad Armenos, CEREALIS L. cont. Maximin. PSEUDO-CÆSARIUS, item FAUSTINUS et JUNIUS fecerunt: vel parcius Scripturæ testimonia, aut nec versum 8. apponebant; ut illud Auctori expositionis fidei inter Opera JUSTINI, et hoc IRENEO L. 3. adv. hæret. c. 18. (al. 16. n. 2. et seqq.) convenit. Tandem Patres reliqui vel carebant Codicibus integris, vel a versu 7. laudando abstinabant; sive quod cum non legerent in Codicibus omnibus, sive quod nolent se exponere *Tritheitarum* aut *Arianorum* cavillationibus, alibi jam injectis.

2<sup>a</sup>. Facilius erat hunc versum omitti per Librarium negligentiam, quam interponi per fraudem. Ratio *primi*; quia ob simile initium versus 7. et 8., errante et excurrente oculo, aut alia scriptoris incuria, primum erat transitum fieri a priori ad sequentem, postremis illius verbis omissis. Quotidianum hujus erroris experimentum occurrit describentibus; ejusdem etiam exem-

pla in 70. Interpretibus notat Hier. L. 6. Comment. ad Jerem. c. 30. v. 14. et 15. et L. 9. ad Isa. c. 40. v. 7. et 8. Uno autem Codice sic corrupto transumpta postmodum plura errabant. Ratio *secundi*; quia fraus huiusmodi, utpote delictum gravissimum, præsumi non debet: neque potest facta credi, Catholicis æque ac Hæreticis vel fraudem non advertentibus, vel detectæ nullatenus contradicentibus.

3<sup>a</sup>. Causa esse poterat dissimulandi omissionem versus septimi, etsi is foret genuinus: nulla vero apparet eundem inserendi, si erat spurius. Ratio *primi*; quia hoc testimonium Arianis erat incommodum, utpote errori capitali contrarium; ideoque mutilis Codicibus contra alios integros tueri se poterant: idem autem a Sabellianis pro suo errore confirmando fuerat usurpatum; ideoque Catholici contra Arianos Sabellianismum sibi objicientes ab eo proferendo abstinere poterant, nec illius restitutionem urgere. Ratio *secundi*; quia hic versus nec erat necessarius ad dogma Catholicum de Trinitate probandum, pro quo alia Scripturæ testimonia abundabant: nec fraudulenta ejusdem insertio poterat esse utilis; sed præbuisset potius quasi causæ malæ indicium, et ipsum dogma, licet aliunde roboratum, in suspicionem induxisset.

4<sup>a</sup>. Versus septimus optime cohæret cum universo textu: sine illo contextus non rite procedit: cum illo junctus consentit cum aliis Joannis textibus. Ratio *primi*; quia mentio testium *in terra* comparisonem aut oppositionem indicat, et supponit testes *in celo*; quo medio versus 7. nectitur cum 8.: commemoratio testimonii divini prævalentis humano, et quidem ad legis normam duos vel tres testes requirentis, connectit non tantum versum 6. cum 9., sed et 7. cum utroque. Ratio *secundi*; quia excluso versu 7., vel non adesset testis divinus; si scilicet  $\tau\delta$  spiritus in versu 8. sumatur pro anima Christi vel charismate: vel non adessent plures testes divini; siquidem sanguis et aqua in communi interpretum acceptione usurpetur: adeoque nec prævaleret testimonium, quod majus dicitur, non tantum ab auctoritate, sed et a numero ternario, eoque geminato. Ratio *terti*; quia quæ in toto contextu asseruntur, scilicet testimonium Dei, trini in Personis, et unius in natura, cum sufficientia testium, eadem Joannes in Evangelio asserta refert. Testimonium quidem Dei in Personis trini c. 8. 18. *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater*; Et c. 15. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre... ille testimonium perhibebit de me*: Unius in essentia, c. 10. 30. *Ego et Pater unum sumus*; et c. 16. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*: Sufficientiam autem testium, c. 8. 14. 16. et 17. *Et si testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum... quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater. Et in Lege vestra scriptum est: quia duorum hominum testimonium verum est. Accedit vox illa Verbum Joanni propria, quam adhibet in versu 7., sicut eandem in Evangelio 1. sæpius, et in Apocal. c. 19. 13. usurpavit.*

361. *Observa.* Ne quis ex varietate lectionis in versu 7., argumentum contra hujus authenticam formari recte posse existimet, breviter subjungere juvat multiplicem variationem versus 8., quem tamen omnes habent pro certo et authentico. In Capitulari Veronensi antiquissimo integer hic versus

deest. Voces illas, *Tres sunt, qui testimonium dant*, mutant AMBR. L. 1. de Spiritu sancto c. 6. n. 77. et AUG. L. 2. adv. Maximin. c. 22. n. 3. in has: *Tres sunt testes*; CASSIODORUS in Complex. ad 1. Joann. n. 10. in istas: *Testificantur tria*; Auctores L. de Baptism. hæret. et cont. Varimadum in illas: *Testimonium perhibent*. Voces *in terra* desunt in Lectionario Gallicano, apud AUGUSTINUM, AMBROSIUM, Auctorem de bapt. hæret. et apud LEONEM in ep. ad Flavianum. Testium ordinem immutatum referunt AMBROS., CASSIODOR. auctor L. cont. Varimad. ac ETHERIUS L. cont. Elipandum. Tandem eas voces, *hi tres unum sunt*, omittunt CASSIOD., Codex Paris., Colbertinus, vetusta Correctoria MSS., et D. THOM. in expositione 2<sup>æ</sup>. Decretalis: variant vero, Auctor L. cont. Varimad. quidem in has: *Tres in nobis sunt*; ETHERIUS in istas: *Tria hæc unum sunt*, Græci Patres et Codices non pauci in illas: *Tres in unum sunt*. Plura, et maxime vindicias Patrum, qui desiderat, consulat FRANCISCI BERNARDI DE RUBEIS singularem de hac materia dissertationem adversus Samuelem Crellium.